

# **Visual Library Portal**

**Digitalisierung von Drucken des 17. Jahrhunderts**

## **Informatio De Famoso Negotio Compositionis Dissidentium inter se Principum & statuum S.R. Imperii**

Ad Reges Et Principes Christianos

**Schoppe, Caspar**

**Cosmopoli, 1616**

**VD17 23:235693G**

**urn:nbn:de:s2w-2688**

INFORMA-  
TIO DE FAMOSO  
NEGOTIO COMPOSI-  
TIONIS DISSIDENTIVM  
inter se Principum & Sta-  
tuum S. R. Imperij.

AD REGES ET PRIN-  
CIPES CHRISTIANOS.



Cosmopoli, ex Typographia  
Iustiniana.

Anno M. DC. XVI.


IN F O R M A  
TIO DE F A M O S O  
NEGOTIO COMPOSITO  
TIOIS DISSIDENTIUM  
inter Principum & Sa-  
lum S. R. Imperij.

AD REGES ET PRIN-  
CIPES CHRISTIANOS.



Compositum ex Typographia  
Iulianiana.

ANNO M. DC. LXXI.



*IN* F O R M A T I O  
D E F A M O S O N E G O  
T I O C O M P O S I T I O N I S  
A D R E G E S , P R I N C I  
P E S Q V E C H R I  
S T I A N O S .



**V**Æ SIT ROMANI IMPERII,  
quod penes Germanos est, præsens  
facies, quis status? quæ in illo reli-  
gionum confusio, opinionum dis-  
crepantia, & Ordinum discordia;  
vel ex huius seculi Historicis, vel  
ex Oratorum relationibus, tum e-  
tiam ex publica informatione, quæ  
sub titulo Turbatus Imperij status, in lucem prodijt, abun-  
dè norunt Christiani Reges, Principes, &c. Verùm quia  
ab euenru, & exterorum Consilijs non obscure deprehen-  
ditur, multos in devias opiniones, & contrarias in facto  
sententias, vel per iniuriam, vel per ministrorum sinistras  
relationes, aut partis aduersæ speciosas oblationes, præter-  
tìm in famoso negotio compositionis, hoc tempore peri-  
culosè seduci, necessarium visum, Regibus, Principibusq;  
Christianis, hanc informationem offerre, vt in illa ceu spe-  
culo, quæ sit causa discordiarum inter ordines, & quis mo-  
A 2 dus

2 DE COMPOSITIONE

2  
dus eas componendi, proponatur, plenius cognoscant, contemplentur, & agnitæ veritati patrocinentur.

Quàm gloriôsè Romanum Imperium ad Germanos delatum, & quàm prudenter ad hoc infœlix vsq; seculum conseruatum sit, loquantur historiz. Pro hoc instituto conuenit generaliter scire, quod res ipsa testatur, ante annos circiter octuaginta, aliquot Ordines Imperij, relicta auita religione Catholica, nouam Lutheri doctrinam assumpsisse, ex diuersitate religionum in contraria studia & consilia (vt fert natura religionis) magno suo damno abijisse, sed ex his in diuturna bella ciuilia incidisse, quibus cum penè consumpta esset, gloriosissimos Imp: CAROLVM V. & FERDINANDVM differentias Catholicæ religionis, cum nouitate Lutherana, Concilio generali decidendas remisisse, & vt interea publica tranquillitas conseruaretur, legem politicam, ne quis alterum intuitu religionis deinceps offenderet, communi omnium Ordinum consensu, sub grauissimis pœnis Anno salutis 1555. promulgasse, de cuius legis contentis ac sensu, vt minor sit dubitatio, placuit illam ipsam fideliter translata, hic adiungere.

Ne quis posthac alteri in Imperio bellum indicat, inferat, vel hostile quid, aut per se moliatur, aut ope consilioque promoueat, quin imò omnibus concordibus votis, mutuz beneuolentiæ studeant, neq; alter alterum, Iudicio se submittere paratum, annonæ subministracione, commercijsq; vel reddituum perceptione intercludat.

Cæsar & Imperij Ordines nullum Confessionis Augustanz statum ob professionem Augustanam, vi vel armis inuadant, lædant, vel ab hac confessione, doctrina, ceremonijs, ritibusq; Ecclesiæ, in ditionibus eorum, aut iam introductis, aut introducendis deijciant, ijsq; siue manda-

tis,

tis, siue alijs modis graues sint, sed in hac confessione, eius-  
que exercitio, bonis, & iuribus suis, liberi & quieti relin-  
quantur; quæ autem de religione lis est, ea non nisi Chri-  
stianis, amicabilibus & pacatis rationibus componatur.

Vicissim Ordines Augustanæ confessionis Cæsarem,  
Electoresq; Imperij, Principes & status Catholicæ & auitæ  
religionis, siue Ecclesiastici, siue seculares illi sint, vnà cum  
ipsorum Capitulis, & alijs clericalis ordinis hominibus,  
non attento, quo domicilium suum transtulerint, sua reli-  
gione atq; Ecclesiæ suæ ritibus cæremonijsq; , sicut & bo-  
nis, dominijs, subditis, iurisdictionibus, dignitatibus, iuri-  
bus, redditibus, censibus, decimis, absq; vlla molestia, vti, frui  
sint & patiantur, ipsis potius in hoc subueniendo, quàm  
vllam vim inferendo, ad amissim Imperij legibus, consti-  
tutionibus, & pacis publicæ sanctionibus obseruatis, atq;  
hæc omnia sub sponione Cæsareæ Regiæq; dignitatis, ho-  
noris, principum fidei & pœnis constitutionis, quotquot  
verò nec Catholicæ religioni, nec Augustanæ confessioni  
(vt nempè illa Anno 30. Cæsari exhibita est) addicti sunt, hi  
beneficio pacis non fruuntur, sed ab ea penitus exclusi sint.

Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, alijq; Ecclesiastici,  
à Catholica religione recedentes, à beneficijs eorumq; fru-  
ctibus, honore & existimatione salua, simul quoque abce-  
dant, Capitulis, aut quibus id de iure competit, aliam ca-  
tholicam personam in eius locum suffiendi & eligendi  
data facultate, cui vnà cum Capitulis alijsq; Ecclesijs, fun-  
dationes, electiones, consuetudines, iura & bona sua salua  
sint & maneat: Collegia, Cœnobia, aliaq; bona Ecclesia-  
stica à statibus nonnullis, eorumq; prædecessoribus occu-  
pata, pijs vsibus applicata, si neq; ad alios Imperij status  
pertinent, nec tempore transactionis Passauiensis, postea-  
uè ab Ecclesiasticis possessa fuerint, sub hac pace compre-  
hen-

hendantur, suisq; locis immota maneant, neq; vlla eorū nomine sit actio, petitio aut persecutio, nemini à Camera horū nomine processus decernantur: Ecclesiastica iurisdictio (saluis cuiusq; redditibus, decimis, iuribusq; temporarijs) in Augustanæ confessionis ritus, ministeria & leges institutas instituendasq;, vsq; ad plenam religionis conciliationem, ne exerceatur: sed confessione hac libera, interea temporis suspensa quiescat, alijsq; tamen casibus integra maneat. Statibus Catholicis redditus, census, decimæq; maneat, Magistratui tamen ciuili, sub quo ea bona sita sunt, in his iurisdictio secularis commoda & iura, quæ ante ortum de religione dissidium ipsi in ijs competierunt, salua sint, ex his bonis, monasterijs, Ecclesijs, scholis, eleemosynis, hospitalibus vt olim, ita deinceps, nullo alterutrius religionis discrimine prouideatur.

Qua de re, si quid dubij incidat, partes arbitros litis decidendæ nominent, qui causa summarie cognita, intra sextum mensem, quid quantumque eò impendendum sit, pronunciant. Interea quibus hoc nomine lis mota fuerit, nec possessione sua destituantur, aut turbentur, nec eò minus quod antiquitus ex fundis emolumentisq; ad ministeria contulerunt, ad finem vsq; litis porrigant.

Ne quis statum alterum, eiusue subditos suæ religioni adigat, abstrahat, vel cōtra Magistratum tueatur, aut defendat, competentibus tamen aduocatiæ iuribus exclusis.

Cælaris, statuum subditis vna cum familia religionis causa aliò si velint comigrandi, bonaq; sua alienandi (dum feruili conditionis debitiq; tributi nomine pro loci consuetudine, magistratui satisfaciant) facultas & potestas esto, Dominis tamen manumittendi arbitrio relicto. Hæc pax diffidentia in Imperio tollendæ, salutiq; patriæ promouendæ, & concordandis religionum litibus inita, ad vltimo

que placidam & absolutam religionis conciliationem, facta, tecta & inuiolata ab omnibus seruetur. Quod si generali concilio, nationali conuentu, colloquio alijsq; Imperij tractatibus hæc compositio acquiri non possit, pacis tamē huius in oēs casus perpetua & æterna vis & authoritas erit.

Hac quoq; pace Ordo equestris immediatè subditus ita fruatur, ne vnus aut alterius religionis causa grauetur, aut molestetur.

Quibus in ciuitatibus liberis, ante hanc conditam pacem, vtraq; religio in vsu fuit, in ijs porrò sic remaneat, Ciues & incolæ seu clerici seu laici, pacificè & comiter inter se cohabitent, neutri alteros de religionis suæ exercitio, Ecclesiæ ritibus, & cæremonijs deturbare liceat, sed liberum vtrò citroq; religionis facultatumq; & bonorum vsum, sicut superius de statibus cautum, quilibet habeat.

Superioribus Imperij cõstitutionibus huic paci, nihil vlla in parte detrahatur, nec deinceps vlla cõtra eã derogatio aut declaratio admittatur; si fiat, p non facta habeatur.

Hæc pax vti Cæsaris Ordinumq; religiosa assertione munita est, ita stabili omnium concordia & sinceritate sanctè & religiosè seruetur.

Cæsar & Ordines nec ipsi inuicem clàm vel palam contra hanc pacem committant, nec fraudem facientibus aut contrauenientibus adiumento sint, quin imò contra hanc constitutionem læsis, ope & auxilio subueniant.

Huic cõstitutioni Camera pareat, iusq; postulantibus citra alterutrius religionis respectū administret, in contrariū nec processus decernat, nec aliud agat aut tractet. Finis.

In huius legis seu pacificationis obseruantiam, licet oēs Ordines Imperij successiuè in hanc vsq; horam sollemniter iurauerint, eamq; Catholici & primi Lutherani illæsã seruarint, non tamen defuerunt, qui tertiã religionē Caluianam

## DE COMPOSITIONE

nianam nouissimè emerſam amplectentes, non tantùm eandem violare, ſed & omnia reliqua maiorum iura, conſuetudines, & inſtituta, pro genio ſubuertere, nouamq; Imperij formam, armata manu introducere ſtuduerunt.

Hoc ipſum tam clarè teſtantur Eccleſiæ Magdeburgenſis, Bremeniſis, Halberſtadenſis, multarumq; aliarum Prouinciaram inuaſiones, & in Argentorateneſes, Colonieneſes, ac alios tentata bella, vt ſuperfluum videatur euidentiffimis factis, verba ſuperaddere: Accedit quod Catholici prouincijs, poſſeſſionibus, bonisq; violenter deſtituti ac ſpoliati, cum ordinaria via iuris, in ſummo Imperij tribunali, reos occupatores & detentores conueniunt, proceſſus inſtituunt, ſua repetunt, & iuſtitia adminiſtrationem vrgent, illi primum mille effugia declinatoria quærere, difficulter lites conteſtari, conteſtatas æternas reddere, conſuſiones nouis adinventionibus impedire, ſententias ſuſpèdere, litarum executiones facto prohibere, vel de iſdem ad Ordines Imperij, à capite ſcilicet ad membra præpoſtero ordine appellare, vel reuifiones, ſine fundamento petere, illas autem minis & factis immortales facere, & ſic omnem iuſtitiam illudere non erubeſcant.

Cum verò Catholici Principes, & alij Imperij ſubditi, hoc modo viam iuſtitia in Camera Imperiali ſibi omninò præcluſam eſſe viderent: ideoq; ad Maieltatem Cæſaream, tanquam ſupremum ludicem confugerent, illi verſis velis inclamare, & publicis ſcriptis proteſtari cœperunt, Cæſarem omnem ſuam iuriſdictionem in Cameram tranſtuliffe, ideoq; nullum ius in Ordines Imperij habere, quia abſurdum ſit, in vno regno duo ſumma conſiſtoria iudicialia eſſe, & indignum Principes Imperij ad Monachorum lites adſtringere velle.

Si autem Catholici in Comitijs deuolata pace publica

lica religionis, de iniustis spolijs & attentatis conquerantur, & iustitiæ restorationem urgeant, illi se magis læsos ac grauatos ingeminant, & iustitiam postulant; si quæras eoram quo iudice? Casarem reculant, & Cameram Imperialem ideò suspectam habent, quod in illa Catholici Præsides & Assessores sint, & consequenter vel ipsos in propria causa iudices esse, vel nullam iustitiam (quod res est) admittere volunt. Ex his paucis colligere possunt, pro sua sapientiâ Reges, Principes, quam deplorata sit præsens Germaniæ constitutio, & qualiter ex violatis Imperij legibus iustitiæq; violenta oppressione, omnes discordiæ inter Ordines & subditos, orientur, continenturq;.

Verò plenius in specie videant, vtra pars æquior rem foueat causam, quæ realem non verbis fictam iustitiam quærat, quæ uè pacem veram, bellum & dissensiones desideret, necesse est ea quæ saltem à decennio inter Ordines Imperij acciderunt, & quæ in Comitijis Imperialibus postremis acta sunt, breuiter recensere.

In primis res ipsa loquitur, quod cum Principes protestantes, qui in vltimis Comitijis Ratisbonensibus Anno 1613. se nouo nomine Correspondentes indigerant, haud difficulter aduerterent, actiones suas, attentata, modum procedendi, aliaq; inconuenientia, nullo iure, diuino aut humano iustificari posse, & tandem ad terminos rationis ac iustitiæ deueniendum esse, omnia media excogitarunt, quibus iustitiam subterfugere, iudicium Casaris respuere, & si hæc decursu temporis deficerent, armis suam intentionem, arreptasque possessiones manutenere & defendere possent.

De primo medio paulò ante dictum est, quantis artificijs iustitiæ illudant, cum modò Cameræ Imperiali omnem iurisdictionem, modò nullam deferunt, ac se ipsos iu-

dices constituunt: In secundo etiamnum vehementissime laborant; ut tamen memores iuramenti, fidelitatis & obedientiae videantur, & se Caesarem liberè electum, tanquam supremum caput, iudicem & Dominum suum reuereri, incautis testatum faciant, limitatam in Ordines habere Caesarem iurisdictionem, & mox illam ipsam in Cameram Imperialem integrè translata contendunt. Vbi verò hæc ut absurda subsistere posse desperant, ibi quocumque colore, promissis & muneribus, directè & indirectè instant, ut Caesari persuadeatur, tantisper iudicium suspendat, donec transactio non amore pacis, sed odio iudicij inter partes tentetur, ne quis Correspondentium in futurum in aula Caesaris in ius vocatus comparere teneatur, leges priuatas statuunt, aulici iudicij assessores contemnunt, & specioso titulo, iustitiam quandam particularem, quam germanicè *Fürsten Recht* vocant, promittunt: Tandem, ut à iudicio Caesaris honestius liberentur, omnes causas & controuersias, quas cum Catholicis habent, religionem concernere, ideoque extra Caesaris iurisdictionem esse prætendunt. Quod si religionem, ut religionem à rebus politicis, quæ maximè controuertuntur, Catholici distinguant, illi tales esse causas, quæ nullum iudicem patiantur, & tantum amabili compositione determinari possint, dicunt, Caesaremque ut Catholicum iudicem reijciunt. Pro tertio medio in aperto est, Correspondentes Ordines Imperij pro tuenda violenta possessione, pro augmento religionis Calvinianæ, & amplianda religione, in excidium omnium Catholicorum, atque ipsiusmet Catholicæ religionis coniurasse: Ad hoc fœdera cum exteris Regibus, Principibus, ac Rebus publicis, imò cum infidelibus Turcis & Barbaris iniisse, & Lutheranos, qui se hætenus Neutrales, deuotos tamen Caesari, legumque Imperij obseruantes factò comprobauerunt,

ut in

vt in sua transeant vota incessanter adhortari, atq; in hoc postremo summam rei benè gerendæ constituunt.

Catholici ex aduerso aperta fronte profitentur, se contra leges pacis publicæ, & religionis, nullum Principem, aut subditum, imò ne rusticum quidem à tempore promulgatæ legis lasisse, cum vicinis semper pacem coluisse, iura maiorum, consuetudines, Imperij modum consultandi, cæteraq; instituta reuerenter obseruasse, Cæsari debitam obedientiam fidelitatemq; præstitisse, & nihil omisisse, quod ad gloriam & ad incrementum Imperij proficere posse existimarunt. Veruntamen cum se contra leges Imperij, ditionibus, bonis, via facti spoliari, destitui, iustitia defraudari, & tandem in totale exitium præcipitari, vel serius cognoscerent, fatentur candidè Calvinistarum fœdera ipsos in ea consilia coegisse, vt pro defensione Ecclesiæ DEI, Religionis, prouinciarum & subditorum suorum tantisper conspirarint, donec Cæsarea maiestas imperio iustitiam restitueret, & ipsi ab aliorum offensionibus securi esse possint: Dum autem Calvinistæ cum suis se coniungunt, Catholici defensionem intendunt, Lutherani neutrales Cæsarem venerantes, quasi in specula stant, proh dolor ipsum Imperium in tres factiones dilaceratur, & periculis regni diuisi turpiter exponitur.

His præmissis exhibetur pro exemplo deformitatis, in casu iustitiæ, causa Aquensium, in bellicis motus Iuliacenses, in Comitiorum perturbatione ipsæ Correspondentium actiones & publica scripta.

Et quidem causa Aquensis peruulgata nimis sic habet. Cum vndiq; ferè infecta esset Germania nouis doctrinis, non defuerunt qui Aquisgrani nouitates spargerent, & licet Magistratus tempore promulgatæ legis pacis publicæ & religionis Catholicus esset, nullumq; aliud quàm Catho-

licum in ciuitate religionis exercitium haberetur, tantum  
tamen potuit Caluini inquietus spiritus, vt contra leges  
prædictas in §. Quibus in ciuitatibus liberis, &c. pauci  
nouatores plebem titulo libertatis conscientia & patriæ,  
seditiosam reddere, legitimum Magistratum in exilium  
abigere, omnia innouare, & pro libitu Rempublicam  
administrare ausi fuerint, super hoc enormi facto, cum  
exules Senatores, Cæsaris iustitiam implorarent, per-  
suasi sunt turbatores primò à Correspondentibus, ne Cæ-  
saris iudicio se submitterent, sed ad Cameram Imperia-  
lem prouocarent. Deinde vbi causam coeptam intel-  
lexerunt, superacum infimis miscuerunt, vbi in decisa ma-  
neret, & amicabiliter componeretur, quod quidem eo usq;  
produxerunt, vt vix vigesimo anno iniustissime spoliati,  
sententiam restitutionis impetrare potuerint. Postquam  
verò per sententiam Cæsaris, magistratus pristinae dignita-  
ti, honori & auctoritati restitutus fuit, qui euerunt cines se-  
ditionis Calvinista, quo usq; per obitum Serenissimi Ducis  
IULIAE Anno 1639. amplior intentioni promouenda spes  
affulgeret: quo facto obliti iuramentorum denuò Magistra-  
tum legitimum eijciunt, administrationem Reipublicæ  
vsurpant, vocati in ius aulicum, Cæsaris iudicium fugiunt,  
& ad Vicarium Imperij administratorem Palatinum prouo-  
cant.

Ille neglecta iustissima sententia Cæsaris RVDOLPHI  
II. felicissimæ memoriæ, per suos Commissarios, parte al-  
tera non audita, præcipientes processus decernit, non atten-  
to, quod iuxta Correspondentiũ paradoxum, causa Aquen-  
sis religiosa, & per consequens extra Cæsaris iurisdic-  
tionem esset, (vt seruum ostenderet esse supra dominum) in-  
trusum Magistratũ, à crimine spolijs absoluit, eundemq; in  
administratione confirmat: & reges exteros ad defensionem

nem

nem Aquensium inuitat. Exules autem spoliati, cum super his attentatis, apud electum nouiter gloriosissimum Imperatorem MATTHIAM I, iustas querelas instituerent, & confirmationem sententiæ defuncti Cæsaris RVDOLPHI II, instanter vrgerent, subito omnes Correspondentes causam suam faciunt, religiosam dicunt, Cæsarem ne actus Vicariorum in discrimen vocari patiatur, & nisi à contraria sententia eiusq; executione absteineat, bellum publicis scriptis minantur.

Hæc est Reges, Principes, &c. Christiani forma & modus, quem in terminis iustitiæ contra Catholicos exercent Correspondentes. Consequens nunc est, vt de auiditate ad bella ciuilia, & intentione exterminandi Catholicos paucis doceatur. Ad hoc vt præterita relinquatur, in promptu est bellum Iuliacense, quod Anno 1610, ideò maximè cœperunt Correspondentes, vt ditissimas illas prouincias in suas partes traherent, ibi sedem belli figerent, & exinde commodius vicinas ditiones infestarent ac subiugarent. Ad hunc effectum Principibus defuncto Duce IULIÆ, &c. proximè agnatis Neoburgensi & Brandenburgico omnibus modis persuaferunt, ne Cæsaris iudicio successionem controuersam submitterent, sequestrationem prætensam spernerent, causamque vicinis Galliæ & Angliæ Hollandisq; amicabiliter componendam deferrent: Cui proposito cum Cæsar pro tuenda iurisdictione sibi solita sese opponeret, secundùm leges Imperij ob metum armorum sequestrationem tentaret, Iuliacum in potestatem suam redigeret, partibus viam iustitiæ aperiret, & vndiq; ad pacem hortaretur, statim ad arma conclamarunt, conscripserunt exercitus, Gallos, Anglos, Scotos, Hollandosq; in Imperij prouincias inuitarunt, & spretis omnibus Cæsareis mandatis, Iuliacum vi expugnarunt, regesq; ex-

teros, quàm iustissimum suum Imperatorem habere iudices maluerunt, atq; de his omnibus vt benè gestis, gloriantur, & triumphos decernunt.

Verum cum Año 1614. declinante nonnihil fortuna Sereniss. Archidux ALBERTVS ex mandato Cæsaris, sententiam restitutoriam contra rebelles Aquenses exequeretur: Mülheimium ad æmulationem munitum demoliretur, & Holandos, qui iam Iuliacum exclusis Principum possessorum præsidijs suū fecerant, cæteraq; loca & prouincias Iuliacenses occupare proposuerāt, valido & victore exercitu impediret, Vesaliam, Dyram & aliquot loca in potestatem Cæsaris, ad decisionem vsq; causæ principalis redigeret, attoniti Correspondentes, per legatos & literas, de violatis à Serenissimo Archiduce ALBERTO Imperij legibus, de introductis exterorum armis, & iniquissimis attentatis apud Cæsarem conquesti sunt, omniumq; reparationem & restitutionem adiunctis minis, incessanter sollicitare non desinunt. Ex quo haud difficulter apparet, quantum sit Correspondentium ad bella contra Catholicos Ordines desiderium, quanta animorum à Cæsare auersio, & quam sinistrū in rebus iudiciū, qui quod sibi contra omnia iura sumūt, id ipsum p̄ Cæsaris auctoritate & Imperij dignitate defendēda, in alijs reprehendūt. Vocarunt illi exteros contra Cæsarem, Cæsar principem Imperij fratremq; contra exterorū conatus inuocat, hoc tamen iniustum & intolerabile, illud sacrosanctum & laudabile habere volunt Correspondētes; sed de his iudicium ferant Reges, Principesq; Christiani.

In Concilijs & Comitijs Imperialibus demùm, ne quid in restaurationem iustitiæ, aut pro Cæsaris auctoritate, vel religionis Catholicæ bono concludatur, hunc in proximis Annis 1607. 1608. & 1613. obseruarunt modum, Correspondentes. Mittunt ad præscriptum locum legatos,

tos, vt plurimum patum pacificos, qui propositionem Cæsaream in pleno omnium Ordinum conleffu audiunt, & vocati ad confilia pro cuiusque qualitate veniunt: quàm primum verò de necessitatibus Imperij succurrendis, aut de iustitiæ defectibus supplendis reformandisq; , de modo concludendi, consultandiq; , & per maiora vota concludendi, quæstiones moueri audiunt, insurgunt illico, & protestantur, se consultationibus vltra adesse non posse, nisi prius Cæsar suis grauaminibus satisfaciat, quod si exemplo Catholicorum moneantur, priuatis publica antepone, tergiuersantur, & quibuscunque effugijs tempus protrahunt, donec tandem infecta aut imperfecta se Comitia dissoluantur.

Hoc ipsum in postremis Comitijs Anno 1613. Ratisbonæ habitis non intentatum reliquerunt; sed tamen non eadem fælicitate, qua antea optatum effectum consecuti sunt. Concluserunt enim omnes Cæsari obedientes Ordines Catholici & Neutralistæ, quæ de necessitate Imperij existimarunt, ac more solito conclusa confirmarunt, eaq; per Imperium promulgarunt.

Hæc sunt artificia quibus Correspondentes iustitiam supprimunt, Cæsaris iurisdictionem impugnant, & Comitiorum effectus irritos facere conantur. Ex quibus omnibus Reges, Principesq; Christiani partium dissidentium æquitatem & intentionem facillè dijudicabunt: Reliquum est, vt de partium & Ordinum Imperij grauaminibus speciatim informentur, & de modo sedandi controuersias, pacemq; conseruandi agatur. Sunt autem præcipua capita grauaminum, quæ ex ordine sequuntur.

Conqueruntur Correspondentes primò, Cæsarem in aula sua per ordinarios Assessores, iudicium in Ordines & subditos Imperij exercere.

Cæsa-

Cæsarem ex aula mandata sine clausula, & commiffiones super constitutione religionis decernere.

Inquisitiones in bona Ordinum institui, & lites aliunde ad aulam Cæsaream auocari.

In Camera Imperiali volunt indifferentes præfides & pares numero Assessores, cuiuscunq; religionis.

Instant vehementer, vt Cæsar actus Vicariatus tempore interregni, tam Aquisgrani, quam in causa **Fribberg** & **Siberach** exercitos sine mora confirmet.

Ordinarias visitationes Camera Imperialis requirunt.

Ecclesiasticis, Abbatibus, Prioribus, Monachis contra Ordines Imperij processus denegari.

Conqueruntur Ordinibus Imperij Non Catholicis, qui Episcopatus possident, sessiones, aliaq; priuilegia non concedi.

Postulant ne Cæsar quicquam iuris Romanis Pontificibus in Imperio concedat.

Sepulchra apud Catholicos, & vbiq; liberum exercitium religionis volunt dari.

Conqueruntur de modo concludendi per maiora vota.

De forma iuramenti in feudorum inuestitura ad sanctos Dei directa, eamq; abrogari petunt, tanquam religioni suæ contrariam.

CATHOLICIS VNO verbo de præteritis spolijs, & de violatione legum, de vi publica, & oppressione iustitiæ conqueruntur, & hæc cum effectu, sub authoritate Cæsarea restitui desiderant.

Neutralistæ Cæsarem reuereri, leges pacis publicæ & religionis seruari, maiorum instituta continuari, & iustitiæ liberum cursum relinqui volunt.

Atq;

Atq; hæ sunt partium principales differentia. Nunc de modo compositionis videndum.

Cognitis malis, vt fert prouerbium, facilius est remedium. Etenim quotquot sapientes humanas actiones, iurgia & dissidia ad limam rectæ rationis examinarunt, tres vias, iuris nimirum, facti seu armorum, & amicabilis compositionis, ad abolendas controuersias proposuerunt: Viam IURIS aut ARMORVM nemo pacificus partibus suaserit, dum vel minima spes superest amicabiliter componendi, cum nihil sit societati humanæ tam consonum Deoq; acceptum, quàm sine lite pacem colere & conseruare. Hoc prudentissimè aduerterunt Correspondentes in Comitijs Ratisbonensibus, ideoque ad ostendendum pacis desiderium Cæsari, viam amicabilis compositionis, tanquam vnicum remedium, quo res Germaniæ restitui, Imperiumq; conseruari possit, vtrò obtulerunt, & vt melius Cæsaream Maiestatem inducerent, hæc argumenta instillarunt.

1. FERDINANDVM Imperatorem optimæ memoriæ, similes Ordinum differentias, religionem concernentes, summa cum laude, amicè composuisse, pacemq; Imperio restituisse.

2. Quia pium magis & Christianis dignum sit discordias inter Ordines eiusdem Imperij subortos pacificè componere, quàm rigore iuris, aut dubio armorum euentu easdem determinare.

3. Quod per compositionem differentiarum Comitiorum Imperialia, optatum consequentur effectum, & Cæsar desideratam contra Turcas contributionem.

4. Cæsare ex officio & conscientia obligari, vt S. hanc Correspondentium propositionem promoueat, & Catholicos vt potest, in eandem consentire compellat.

5. Quia omnes Christiani Reges & Principes, etiam

Catholici, omnibus votis, hoc ipsum compositionis medium approbant, & Cæsareæ Maiestati, vt conuenientissimum suadent.

Post speciosa hæc argumenta, modum componendi proposuerunt talem. Assignabit Cæsar locum & tempus Conuentui habendo. Dein vnum è Serenissimis Archiducibus Austriacis cum potentia absoluta mediatorem constituet, cui pares numero Correspondentes & Catholici Ordines adiungentur: Ijs autem certi quidam assistent, atq; inter illos speciatim desideratissimus Vir NN. Tertio, obseruabunt Domini Mediatore, eundem ordinem in referendo, correferendo, & edendo conclusa, quem secuti sunt Passauienses in pacificatione religionis. Quarto, pro materia tractabitur decenti ordine, de partium Cæsari exhibitis grauaminibus, vtpotè quæ oēs controuersias contineant. Quinto, cauebunt omnes Ordines sufficientissime concordata, inuiolabiliter obseruare, cum Correspondentes abundanter præstare parati sint. Sexto, cessabunt interea omnes motus armorum, & nihil innouabitur.

Pulchra sanè & plausibilia sunt hæc omnia, & quidem prima fronte talia, quibus nemo sanæ mentis contradicere debeat; verū vt Reges, Principesq; Christiani, quid sub his figuris latitet, quid speciosissimæ ad pacem oblationes portendant, quo sine famosa compositio vrgeatur, penitus intelligant, demonstrabitur primò ad oculum, sub hoc melle yenenato compositionis nihil aliud intendere Correspondentes, quàm Cæsarem omni iurisdictione priuare, secundo, iustitiam penitus subuertere, tertio, religionem Catholicam cum suis adherentibus ex Imperio profligare, quarto, Serenissimæ domui Austriacæ, ceu capiti contradictionis, exitium parare. Deducentur rationes, quare nec

Cæsar,

Cæsar, nec Ordines Catholici in propositam compositionem consentire possint nec debeant. Respondebitur ad obiectiones & argumenta Politicorum, qui compositionem, vt sacrosanctum medium Pacis nunquam satis extollere, & totis viribus persuadere conantur. Et tandem ostenderur, si omninò componendum sit, quid præcauere, & quomodo sine præiudicio Cæsareæ authoritatis, partiumque procedi possit.

Quantum equidem ad promissam demonstrationem, eiusque primum punctum, de intentione Correspondentium, quod scilicet sub specie compositionis Cæsarem debita iurisdictione prorsus priuare moliantur, attinet; sic formari posset: Quicumque ideo de causis componere intendunt, quia Cæsari nulla super iisdem comperat iurisdictionis, aut iudicium, illi Cæsaream Maiestatem debita iurisdictione spoliare nituntur: Sed Correspondentes ad prædictam causam compositionem vrgent. Ergò, &c. Minor probatur ex publicis & priuatis Correspondentium scriptis, tum maximè ex postrema Noribergæ vnanimi decreta resolutione, quæ clarissimis verbis, inauditum hactenus in Imperio hoc paradoxum continent, causas nimirum controuersas tales esse, quæ nullum iudicem ferant, Ergò quod probandum erat nec Cæsarem, vtpote cui nulla comperat cognitio. Atque hanc intentionem manifestius produunt in iisdem scriptis, cum se Catholico iudici, qualem sciunt esse Cæsarem, causas suas concedere non posse, nec velle profiterentur. Accedat demonstrationi experientia comprobatum exemplum: Correspondentes, vt aliquid iurisdictionis reliquum esset Cæsari, facentur Cæsareæ Maiestati in causis fractæ pacis & feudalibus, quæ ducatus aut Comitatus concernunt, cognitionem & iudicium post foundationem Camerae Imperialis integrum remansisse: Ne ve-

rò idipsum in causa Iuliacensi, quæ vtrumq; casum completitur, exerceret, compositionem amicabilem exteris Regibus, & aliquot Ordinibus Imperij deferunt: Ergò per medium compositionis Cæsaris iudicium deuitare & eludere conantur.

Non maiori difficultate probatur alterum punctum demonstrationis de subuersione iustitiæ hoc modo: Si Correspondentes sub velato titulo compositionis non intendunt iustitiam totaliter pessundare, vtpote iuris viam tanquam mitiorem, & ad causas decidendas institutam, illâ potiùs amplectentur, quàm ad illicita arma conuolabunt: Sed in omnibus suis litteris in casu denegatæ compositionis Catholicis, imò ipsi Cæsari, minari bellum non erubescunt: Ergò se omnem iustitiam abhorrere & detestari negare non possunt. Confirmat hanc intentionem nuperrimè vnionis Correspondentium ad Principem quendam Catholicum insignis legatio, in qua legatus Princeps Christianus Anhalдинus inter cætera gloriatur, se Ducem Sere-nis. Electorem Palatinum huc vsq; ab aperto bello continendo, Patriam liberasse: sed si Cæsar compositionem promissam diutiùs protrahat, & Catholici renitentur, fore vt vno impetu Correspondentes arma arripiant, qua in terrorem propalata resolutione, quid aliud significare volunt, quàm inter amicabilem compositionem & bellum non dari medium, aut locum iustitiæ.

Deinde si Correspondentes (vt apud Cæsarem & Reges exteros speciosa sonant verba) per compositionem nihil detractum volunt iustitiæ, aut iudicem & iudicium pati coguntur, aut se ipsos iudices declarare necesse est. Sed sicut postremum (cum inter pares qualitate sit controuersia) per se absurdum est, ita de altero parum constat, quod iudicem & iudicium, præsertim Cæsaris Catholici admittere

rere nolint: Ergò vel de ficta iustitia gloriantur, vel nullam intendunt, quod ijs mirum non videbitur, qui de intentione Calvinistarum certam scientiam habent: vt enim superiorem non ferunt, sic omnem iustitiam abominantur.

Tertiò, si causa Correspondentium & actiones contra Catholicos tales sunt, vt allegatum vult paradoxum, quæ nullum ferunt iudicem, & ex consequenti nullam iustitiam, necessarium consequens est, per compositionem nihil iustum intendi, quia implicat iustam decisionem à Dominis mediatoribus expectare; & causas iustitiam admittere non posse, nisi velint dicere causas quidem iustitiam ferre, se autem propter exorbitantiam actionum, eandem timere & subterfugere.

Postremò, studio hic præteritur non inconcinna præsumptio de intentione compositionis, quod videlicet vt nunc exemplo pacificationis Passauiensis Correspondentes compositionem magis quàm iustitiam expetunt, sic in futuris casibus iuris viam grauatis præcludant, de quo ipsorummet conscientia in testimonium vocatur.

TERTIUM PUNCTUM de exterminio Catholicæ religionis, & Catholicorum Ordinum ex ipsis Correspondentium grauaminibus euidentissimè probatur, quia in septimo articulo Ecclesiasticis spoliatis contra Ordines Imperij actiones & processus denegari, in octauo articulo, vota sessiones, aliaq; priuilegia ratione prouinciarum, quas contra leges pacis publicæ & religionis iuramento confirmatas inuaserunt, sibi dari prætendunt: In nono omnem pontificiam authoritatem & iurisdictionem abrogari: & in decimo libertatem consecratæ, liberumq; religionis exercitium, per Imperium indifferenter concedi postulant. Quæ omnia, an alio quàm sub prætensa compositione, in

totalem extirpationem religionis, & Catholicorum Ordinum tendant, Regibus Principibusq; Christianis iudicium esto. Si enim impunè spoliantur Catholici, si spolianti iustus est dandus titulus, quid illis relinquent, quorum ambitioni vix orbis terrarum sufficit, & qui Calviniano reguntur spiritu? Si omnis Ecclesiastica authoritas abroganda est, quid nisi præda potentiorum erunt Catholici? Si Calvinistis alijsq; in Ecclesia Catholica sine discrimine religionis detur locus & exercitium, quamdiu consortium regni durabit? loquatur id experientia, & placeat Regibus, Principibusq; facti veritas, quod subdola compositio, Catholicorum ruinam indubitanter præ se fert.

QUARTVM & vltimum punctum, quod per medium compositionis Serenissimæ domui Austriacæ exitum intentetur, non difficulter probatur: Cum enim ex supradictis pateat Correspondentes compositioni inhiare, vt à iurisdictione Cæsaris liberentur, ad iudicem Catholicum & iustitiam non adstringantur, atq; Catholicos omnes Imperio expellant, necessariò infertur Sereniss. domui Austriacæ, vt pote quæ Catholica & vna sit, quæ post DEVM Calvinistarum intèntioni resistit, Ecclesiamq; defendit gloriosè, non minus extrema minari. Quod equidem manifestius intelligunt illi, qui dissensionis inter Principes Austriacos disseminatas subditorum rebellionis, & cum rebellibus inita fœdera, insidias cōtinuas, & diuersa Austriacis procurata bella obseruant, Et ex his sic congruè ratiocinantur: Correspondentes hætenus nihil intentatum reliquerunt, quod in ruinam domus Austriacæ vergeret; Ergò si per amicabilem cum Catholicis compositionem, vt errare non possunt, potentiores fiant, multò magis eandem expugnare studebunt. Et hæc pro demonstratione promissa breuiter sufficere possunt, ad intelligentiam eorum, quæ sub velo compositionis agantur.

**RATIO PRIMA**, quare Cæsar in famolam, fucâtamq; compositionem Correspondentium Ordinum Imperij consentire nec possit nec debeat, est, quia cum diuina providentia per communia Principum Electorum suffragia, ad summam Imperij dignitatem, maiestatemq; Cæsaream eueheretur, factus est supremus Ecclesiæ DEI, religionisq; Catholicæ aduocatus & Patronus, in illiusq; defensionem, fortunas, vitam & sanguinem pendere, ante altare DEI, in facie totius Imperij sollennissimè iuravit: Ergò in consilia & in attentata, quæ in præiudicium & damnum Ecclesiæ redundare possunt, salua conscientia nullo modo consentire potest: Sed consilium compositionis principaliter tendit in euerfionem Ecclesiæ DEI, vt supra demonstratum est: Et vel hoc solo, quod ad Summi Pontificis, ceu legitimi capitis, authoritatem & iurisdictionem prorsus abolendam, directa sit Correspondētium intentio clarissimè constat. Ergò præscriptum componendi modum Cæsar ne quidem audire, multò minus permittere debet.

**SECUNDA RATIO** est, quia cognitum est Correspondentes à multis annis, etiam cum impudenti comminatione gladij & sanguinis, nihil tam vehementer urgere, quàm libertatem vt vocant conscientiæ, liberum suæ religionis apud Catholicos exercitium, & promiscuam sine discrimine religionis ad omnia Ecclesiastica munia & beneficia admissionem, atque hoc ipsum per amicabilem compositionem prætenfam certo certius sibi polliceri. Ergò Cæsar publica professione Catholicus, sine dispēdio salutis æternæ in hoc plausibile pacis conseruandæ propinatum medium non potest consentire, quia per illud præsentissimum Ecclesiæ naufragium, imò ruinam parari, salutemq; animarum in certa pericula damnationis præcipitari, experientia compertum est, & nemo sani iudicij negauerit.

TER-

TERTIA RATIO est, quia Cæsar in regali sua inauguratione aperto iuramento promisit, Cæsaream Maiestatem, authoritatem, iurisdictionemq; sibi ab Ordinibus delatam, inuiolatam conseruare & augustiorem reddere, tum etiam Imperij & Ordinum Priuilegia, immunitates, leges, constitutiones, sanctiones, consuetudines, iura maiorum & instituta, facta testaq; manu tenere, confirmare, & à quibuscunq; contrauentionibus defendere. At verò per compositionem hæc omnia non tantum in discrimen vocantur, sed prorsus contemnuntur & annullantur. Quia in principio compositionis, minantur subditi, impudenti calamo Maiestati Cæsareæ, nisi postulatis acquiescat bellum; quod dum componitur, cessabit authoritas & Cæsaris iurisdictionis. Mediatores enim vasalli, subditi, membra, de capite suo iudicabunt, de controuersijs pronuntiabunt, leges Imperij & constitutiones pacis publicæ & religionis ad genium vnus partis interpretationem accipient, aut prorsus abrogabuntur: vt supra de intentione Dominorum compositorum sufficienter dictum est, & ipsorum conscientia non diffitebitur, Ergò ad tam exitiale medium pacis, Cæsaris consentum petere, nihil aliud est, quàm ipsius Maiestatem in statuum transformare, & subditis subijcere velle.

QUARTA RATIO, quia posito, quod Cæsar amore pacis Politicorum rationibus persuasus, compositionem Ordinibus permittere, & iurisdictioni tantisper renunciare vellet, id tamen propter interesse partis grauatæ præstare non posset: Nam licet in inuitum ius reddatur, nemo tamen ad iniquissimas compositionis condiciones, quales Correspondentes Catholicis imperiosè præscribere, aut ad arma conclamare præsumunt, contra leges Imperij ipsamq; rationem compelli debet. Deindè cum modus & finis compositionis tendat in euersionem constitutionum

Impe-

Imperij, interest omnium Ordinum, ne Cæsar ad instantiam vnus partis in illam consentiat, quia sicut leges Imperij cum omnium applausu sanciuntur, ita etiam cum Cæsaris omniumq; Ordinum consensu abrogandæ, aut mutandæ sunt, & par ratio est de Cæsaris iurisdictione.

QUINTA RATIO, quare Ordines Catholicæ in compositionem consentire non possint, est hæc; quia in grauinibus Correspondentium, ceu materia componenda, principaliter agitur de Cæsaris & aulici Consistorij iurisdictione; secundò, de Camera Imperialis defectibus; tertio, de priuatis Ordinum controuersijs, quæ sanè talia sunt, si intimius considerentur, quæ paucorum definitioni subijci non possunt, inò alium Iudicem quàm Cæsarem non admittunt. In primis enim naturæ & rationi repugnat, mediatores aliquot, capitis sui iustissimi Imperatoris, eiusq; consilij aulici iurisdictionem debitam in dubium vocare, illum ad certos cancellos restringere vel prorsus tollere, & Vasallum Domino ius dicere, secundò; defectus Imperialis Camera si qui sunt, omnes ordines Imperij respiciunt. Ergò in Comitijs, vt fert consuetudo, de ijs decernendum est; tertio, controuersia Ordinum requirunt causæ cognitionem, & iusti iudicis sententiam, quorum illud in amabili compositione propter temporis angustiam, periculosè negligeretur, hoc à Correspondentibus, qui SVVM VELLE iustitiam arbitrantur, non concederetur: Propter hæc inconuenientia, non erit Princeps Catholicus, qui mediatoris personam suscipere velit, aut saluo honore & conscientia, præscripto modo transigere possit, cum ipsa tam informis compositio sit actus naturæ & rationi formaliter contrarius.

SEXTA & VLTIMA RATIO est, quia proposita compositio natura sua impossibilis est, quod hoc modo probatur.

D

tur. Primò, quia Correspondentes omnia, quæ in grauaminibus postulant, purè sibi concedi volunt, aut arma & sanguinem minantur, & sic à præcepto incipiunt, vt nihil restet componendum; Sed Catholici Ordines, nisi diuinam vindictam in se suosq; prouocare velint, nihil de suo iure cedere, aut Ecclesiæ DEI præiudicare, multò minus iniustum hoc Imperium ferre possunt: Ergò inter partes tam constanter contrarias, vana est omnis cõpositio. Secundò, quia mediatores composituri erunt religione & numero pares; ex quo sequetur, quod cum neutra pars in suæ opinionis detrimentum vel præiudicium, quicquam de suo iure remittere volet, contentiosa compositio impossibilis futura sit. Tertiò, quia Correspondentes nullum volunt ferre iudicem, qui paritate votorum inter mediatores suborta iusta decisione differentias determinet. Ergò impossibile est, à tam deformi compositioe salutare effectus, quos promittunt, expectare.

Quibus consideratis dubium non est, quin à Regibus Principibusq; Christianis facile excusabuntur Cæsar & Ordines Catholici, si in iniustam & impossibilem compositionem non consentiant.

Cum autem his non obstantibus Politici seu Atheistæ nonnullis argumentis vtatur, quibus Catholicos Ordines & terminos compositionis inducant, non abs re visum est, illa ipsa hic annectere, eorumq; fucum resoluendo detegere, & ad quatuor prima, quæ Correspondentes Cæsari ad obtinendam compositionem mouerunt argumenta superius allegata, breuiter respondere.

Primum palam constat Summum Pontificem Cæsarem, Reges externos cuiuscunq; religionis, eorumq; ministros propositam à Correspondentibus Ordinibus compositionem approbare & consulere: Ergò Catholici eandem detrectare non debent.

Secun-

Secundum, si Catholici in amicabilem compositionem non consentiant, vniuerso Orbi Christiano testatum facient, se bellum paci præferre, & non salutem sed Imperij ruinam desiderare, atque sic ab amicis consultoribus deserentur, & mille periculis se exponent.

Tertium, quia etiam post multa bella pro pace componendum est, præstabit sine bello oblatam pacem amplecti, quàm dubio Martis euentui omnia concedere.

Quartum, dabuntur Catholicis certissimæ cautiones pro obseruantia concordatorum: Ergò compositionem sine periculo inire possunt.

Quintum, Catholicus Rex Hispaniarum & alij, cum alienis à sua religione subditis certis conditionibus, pacis amore composuerunt. Ergò Catholici Ordines Imperij idem sine reprehensione facere possunt. Ad quæ argumenta respondetur.

Ad primum Politicorum, quod Summus Pontifex & Reges etiam Catholici compositionem ineundam suadeant: Etsi Catholicis Ordinibus nihil de eo certi constat, credunt tamen, & non dubitant quin pacis studiosissimi Principes illi, aliam intètionem in suis consilijs non habeant, quàm si æquis & rationabilibus conditionibus partes controuersæ conciliari possint, tunc omninò compositionem alijs medijs, præsertim armorum anteponendam, & Catholicis acceptandam esse: Si verò captiosa sit Correspondentiũ intentio, vt ex supra deductis cognoscere possunt, tunc alia consilia assumi debere: in quo sensu Catholici sese facillimos cum effectu declarare nunquam reuēt.

Ad secundum conceditur illatione esse veram, si hoc modo formetur antecedens. Si Catholici Ordines in compositionem iustā & rationabilem æquis conditionibus non consentiant, & iuris viam iudicisq; Cæsaris sententiã ferre

noluit, meritò tales habentur, quales describit illatio: At quia non compositionem sed præceptum sibi offerri, iustitiam autem prorsus denegari vident, à tali opinione apud sapientes & cordatos viros se sperant, exonerari posse, cum compositio & bellum, talia extrema non sint, quæ iustitiæ viam non patiantur.

Ad tertium respondetur, hoc argumentum ex tepiditate secundi tacitè victoriam Correspondentibus adscribere, quæ tamen vt per se dubia, sic diuinæ prouidentie integrè relinquenda: Sed positò contingere, post bellum necessarium Catholicos ad compositionem adigi, aliud tamen est necessitatis legibus parere, aliud concreditas animas indefensas vltro hostibus æterna cum ignominia exponere.

Ad quartum, cum fidei humanæ & securitatis alia vincula non sint, quibus constitutio religionis, aliaq; concordata ab Ordinibus Imperij continuo iuramento confirmata sint, illa autem turpiter violata sint, & indies violentur, vt proh dolor frequens experientia testatur, non apparet cautio sufficiens, quæ futuris casibus satisfacere possit: Frustra enim est omnis lex & cautio, cuius nulla est obseruantia. Et sanè mirum est, Correspondentes constitutionem religionis velle esse perpetuam, cum ipsi eandem ne momento quidem inuiolatam relinquunt, nisi ideò perpetuam velint, vt perpetua sint & impunita spolia.

Ad quintum dicitur, quod vbi Catholici prouinciam sibi à DEO datam, tam gloriose defenderint, quemadmodum vident regem Catholicum, aliosq; fecisse, tunc etiam sine reprehensione, pacis necessarias condiciones inire poterunt, donec diuina prouidentia aliter de Ecclesia disponat.

Ad primum Correspondentium supra allegatum argumentum

gumentum respondetur, verum esse gloriosissimos Imperatores CAROLVM & FERDINANDVM, post multa ciuilia bella compositionem inter Ordines Imperij concessisse, & constitutionem Pacis religionis promulgasse: Sed ex hoc non sequitur, idem eodem modo hoc tempore fieri debere, imò planè contrarium inferendum esse iudicabunt sapientes. Nam cum euentus rerum docuerit, talem compositionem in maximum detrimentum Catholicorum Ordinum cessisse, constitutiones quascunq; impunè violari, iuramenta, cautiones & promissa non seruari, necessariò concludendum est, Catholicos se consimilibus laqueis non debere, nec posse exponere.

Ad secundum plausibile argumentum respondetur, non abhorreere Catholicos, quasi humanitate exuta, omnem compositionem; sed iustam, possibilem & rationabilem desiderare, cui si deferant Correspondentes, facilis erit armorum intermissio.

Ad tertium, credibile est, quod si Correspondentes per compositionem, suam intentionem titulumq; spoliolorum obtineant, liberales futuros ex aliena messe: quamdiu autem erga Cæsarem duratura sit speciosa deuotio, hoc solers prudentia facile prospicit.

Ad quartum respondetur à contrario sensu, Cæsarem ex officio & conscientia obligari, vt coloratam compositionem, propter causas supra adductas impediatur, cum maximè quod iniustum sit, partem inuitam ad transactiones iniquissimas compellere: Quod absit, vt de iustissimo suo Imperatore Catholici præsumant.

Atque sic argumentis satisfieri posse videtur. Restat nunc, vt de modo iustæ compositionis (si omninò componendum sit) breuiter agatur.

Sicut in iudicio considerantur personæ, res, actiones.

& ipsa iudicij forma, ita in transactione, quæ species quædam est iudicij, singula examinanda sunt.

De primo notum est, inter Ordines Imperij Correspondentes & Catholicos difficiles esse differentias, & ad eas sedandas proponi interpositionem aliquot Mediatorum, qui etiam sint Principes, & ex eiusdem Imperij Ordinibus, partesq; Iudicis sustineant.

Secundò, res componendas esse grauamina partium, quæ in tria præcipua capita diuidantur, ita vt in primo contineantur, quæ Cæsaris iurisdictionem; in secundo, quæ omnes Ordines generatim; & in tertio, quæ particulares Ordinum controuersias concernunt.

Tertiò, requiritur recta & conueniens rebus & personis forma componendi.

De personis dissidentibus, non est necessaria vltior informatio; rem & actionem satis superq; exhibent partium grauamina, sed de modo procedendi grauior est questio, quæ vt tandem etiam secundum rectam rationem resoluator, sic formari posse videtur forma iustæ compositionis.

Si Cæsar, vtpote sine contradictione competens Iudex omnium partium, reseruat suo & ipsarum partium iure, ad implorationem Ordinum Imperij, in amicabilem super controuersijs compositionem consentiat; deinde ipse Moderatores nominet, illis potestatem tribuat, partes in priuatis Ordinum controuersijs audiendi, & ex æquo & bono eas cognoscendi; definitionem autem & sententiam, ne paritas votorum & opinionum felices effectus impediat, sibi reseruet.

Et tertiò, si compositio optatum exitum non sortiat, partes Cæsareæ Maiestati in verbo Principis promittant, sufficienterq; caueant, quod de causis controuersis,

quo-

quorum lis cepta est, aut institui possit, vbi & quando cunq; in Camera, vel in Aula conueniri contingat, lus, iudicium, Sententias ferre, & executionibus ex more Imperij, obtemperare velint.

Quartò, si causæ Cæsaream iurisdictionem concernentes, ab omni compositione eximantur, eò quod repugnet naturæ & rationi, membra de capite, subditos de domino indecenter iudicare, & tamen ne illæ indecisæ tumultus excitent, quantum potest citiùs, secundùm iura maiorum & prædecessorum, à Cæsare resoluantur.

Quintò, si Camera Imperialis & iustitiæ reformatio, aliq; omnes Ordines concernentia, in Comitia Imperialia transferantur, ibiq; ex legibus & consuetudine Imperij vsitato omnium gentium more, per maiora vota concludendi, legitimè definiantur.

Sextò, si Cæsar à Correspondentibus audiat, qualiter & quibus medijs de obseruantia legum & Concordatorum cauere velint.

Quod si hæc pauca, quæ saluo melius sentientium iudicio notata sunt, in compositione proposita, à Cæsare & Iudice, à Dominis Mediatoribus, & à partibus inuiolabiliter obseruentur, & sic animo pacifico ad compositionem accedant, sperari posset, conatum non fore vacuum, neq; labores inutiles. Quod faxit auctor pacis æternus DEVS, qui corda regum & cuncta creata, dextera suæ infinitæ potentæ, dirigat ad suam gloriam, & ad pacem Christianæ Reipublicæ, quam Regibus Principibusque Christianis, optat anima fidelis, quæ hoc ipsis humillimè offert, dedicatque.

**Ad maiorem DEI gloriam.**

DE RECTORIA IMPERII ROMANI  
quorum hic est, aut insitum possit & quid dicitur  
in Camera vel in Aula conventu contrahat, ut iudicium  
sententias forte & executionibus ex more imperij obtem-  
perare voluit.

Quinto, si casus Casarem iurisdictionem confer-  
rentes ab omni compositione existantur eo quod reprob-  
veturque & rationi, membra de capite, subditos de do-  
mino indecenter iudicare, & tamen ne illa iudicia tu-  
mulus existeret, quantum potest citius, secundum iura  
maiorum & predecessorum, a Casare resolvantur.

Quinto, si Camera imperialis & iusticie reformatio,  
aut quoslibet Ordines conventus in Comitibus imperialibus  
emissis, ibi ex legibus & consuetudinibus imperij au-  
tore omnium gentium more, per maiora vota concluden-  
di legitime determinentur.

Sexto, si Casar a Correspondentibus audiat, qualiter  
& quibus modis de obtinenda legum & Concordato-  
rum curare voluit.

Quod si hanc partem, que saluo melius sententium in  
hinc nota sunt, in compositione proposita, a Casare &  
Iudice a Dominis Mediatoribus, & a partibus iudicibus  
hinc obtineant, & sic animo pacis ad compositionem  
accedant, sperari potest, cogitatum non fore verum, nec  
laboriosius. Quod si tamen negotia pacis extenuis de  
duo corda regum & eandem cetera dextera for infirma po-  
tente, dirigat ad suam gloriam, & ad pacem Christianam  
Republicam, quam Regibus Principibusque Christianis  
operari magis audeat, que hoc ipsa humillime offert, dehi-  
cense.

Ad maiorem Dei gloriam.